



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

L. Fundamentis contrariae sententiae satis facit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

2. quæst. 79. art. 2. disp. 38. de peccatis, & disp. 20. de Gratia.

Eandem doctrinam in propriis & expressis terminis tradidit Scotus in 2. d. 37. §. Ad solutionem, ut latè suprà cap. ... retuli. Aliqui verò in contrariam sententiam illum trahere conantur, quia dicit, etiam peccata præscire à Deo in sua voluntate, vel necessariò fuisse euentura ex vi motionis Dei, si Deus ex necessitate naturæ ageret; sed quidquid sit, quomodo in hos Scotus loquutus fuerit consequenter, cum egit in particulari de concursu Dei ad peccatum, euidenter docuit voluntatem habere in potestate sua determinare concursum Dei ad rectam vel deficientem actionem: quapropter in hoc puncto huic testimonio standum est; in aliis autem, vel consecutionem doctrinæ non animaduertit, vel, quod verisimilius est, in alio sensu est loquutus, quam communiter intelligatur. Nam posita voluntate concurrenti ex parte Dei, licet illa ex se indifferens sit, dixit determinationem voluntatis creatæ futuram præsciri à Deo, non quia illa voluntas Dei sit prædestinatio, aut prædeterminationis, sed fortè quia supposuit à Deo præscientiam futurorum sub conditione, ut in Prolegomeno 3. dicemus. Sic enim etiam aliqui moderni sententiam illam sequuntur, qui prædeterminationem non admittunt. Quod verò Scotus dixit futurum ex hypothesi, si Deus ageret ex necessitate nature, non est propter determinationem, sed quia tunc Deus vehementius moueret, quam nunc, ut suprà tetigimus. Denique plures alios antiquos Doctores Scholasticos pro hac sententia retuli lib. 2. de Auxil. c. 7. quos hic iterum referre necessarium non est. Notissimè autem sententiam hanc defendit, & ingeniosè ac efficaciter persuadet Franciscus Doralleui in lib. de concursu Dei ad actus liberos cap. 7. pertotum. Quæ autem contra hanc sententiam obijci solent, non habetur peculiarem difficultatem, præter illam quæ communis est omnibus actibus liberis ordinis naturæ, & ideo in capite sequenti dissoluentur.

CAPVT L.

Fundamenti contraria sententia satisfacit.

PRiusequam de concursu præuio ad supernaturales actus dicamus, necessarium est ad fundamenta contrariæ sententiæ respondere, quæ omnibus actibus liberis generalia sunt, & suprà cap. ... in septima ratione contrariæ opinionis cum suis confirmationibus illam breuiter comprehendimus. Principalis autem ratio sumebatur ex ipsa indifferentia voluntatis addito illo principio quod à causa indeterminata nihil determinatū potest prodire. Iam verò à nobis ostensum est, vel ob hoc ipsum necessariam non esse illam præuiam motionem, quia oportet, ut ipsamet voluntas in actu primo indeterminata ad actum secundum se determinet, ut proprio, & connaturali modo operetur, alioqui non esset illa differentia actiua, sed passiuæ respectu determinationis, qualis est in potentia motiua manus ad mouendum, vel non mouendum; vel ad sursum, vel ad deorsum mouendum. Et sic dixit D. Thomas in 4. distinct. 49. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. art. 5. quod voluntas potest in oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat, & multa alia in superioribus adduximus. Ad illud verò principium quod à causa indeterminata non prodidit determinatus effectus, respondet optime Scotus in 2. dist. 25.

quæst. vnic. ad ult. illud esse verum in principiis, seu potentiis, quæ licet aliquo modo vniuersalia sint; sunt tamen imperfecta quantum ad hoc, quod non habent dominium suæ actionis, & ideo indigent aliquo determinante ad alterutram partem. Alioqui, ut Aristot. art. 9. Metaphys. cap. 5. text. 10. si ex se, & sine alio determinante procederet in actum simul efficerent contraria, quia vtrumque possunt, & non esset maior ratio de vno, quam de alio. Et hoc apertè patet in exemplo potentie motiue, & idem est de intellectu, & arte, & similibus. Secus verò est de voluntate, quæ est perfecta potentia cum dominio sui actus, & ideo licet sit potentia contrariorum, vel contradictoriorum, potest obiecto præsentè ad vnam partem se determinare.

Neque obstant quæ ad probandum illud principium afferuntur. Primum est ex D. Thoma 1. p. 19. art. 3. ad 5. ubi admittit illud principium in omnibus causis creatis, solumque excipit diuinam voluntatem, & rationem reddit, quia causa, quæ est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum ad quod habet habitudinem non necessariam. Hoc autem discrimen applicatum ad voluntates creatas fundatur in hoc, quod voluntas creatæ est ex se indeterminata, non solum actiue, sed etiam passiuè, ita ut non possit se determinare nisi aliquid in se agendo: voluntas autem diuina alteriò modo se determinat nihil in se recipiendo propter summam actualitatem, & necessitatem essendi, quam habet, & hinc fit ut voluntas creatæ per se sola non possit se determinare sine dependentia ab alio, quasi scilicet in suo esse dependet à Deo; ita etiam in sua determinatione, & in hoc sensu oportet, quod ab aliquo exteriori determinetur, ubi expendo D. Thomam non dixisse prædeterminetur, quia non oportet, ut solus Deus faciat determinationem, sed satis est, ut cooperetur voluntati se determinanti.

Ratio autem illa, quia non est cur causa indeterminata hunc magis, quam illum effectum faciat, Deinde ex habet locum (ut cum Scoto dixi) in causis, & potentiis, quarum actiones non sunt intrinsecè voluntariæ, neque sub dominio illarum. In voluntate autem facile redditur ratio, cur exiliens in actu primo indeterminata aliquid determinare velit, scilicet, quia vult, & eo ipso, quod in obiecto proponitur sufficiens ratio volendi illud, est etiam ratio sufficiens volendi ipsummet velle. Neque est verum voluntatem supposita propositione talis obiecti non esse sufficienter constitutam in actu primo; tam ad eliciendum actum volitionis, quam nolitionis, habet enim ad vtramque sufficientem, & quasi eminentem virtutem, ut declaratum est. Intelligitur autem hoc absolute loquendo de actibus proportionatis viribus voluntatis: nam si sint actus superioris ordinis, oportebit principium compleri per quid superius principium, non propter rationem generalis concursus, sed ut defectum virium ex parte causæ secundæ suppleat; postquam autem completa fuerit voluntas in ratione principii proximi, iam non indigebit concursu præuio, sed concomitante.

Cum autem instatur, quia agens, quod quandoque est actus, quandoque in potentia debet prius moueri, quam de potentia reducat in actum, aperta sit æquiuocatio: nam illud principium est verum ab agente, quod interdum est in potentia passiuæ ad ipsum principium agendi, vel complementum eius, & quia aqua potest esse, & actu calida, & in potentia, ideo quando tantum est in potentia calida, non potest calefacere, quum prius

Quæ ad eam rationem adducebatur reuocatur. Primo ex D. Tho.

Instantia confutatur.

prius ipsa calefiat, & quia visus potest esse interdum in actu, interdum tantum in potentia ad speciem visibilem, ideo quando est in potentia, oportet prius reduci in actum speciei, quam elicit visionem. Hoc autem non habet locum in potentia purè actiua, vt actiua est, id est, quatenus potest esse agens in actu secundo, vel tantum in actu primo, in quo statim dicitur etiam esse in potentia ad agendum: tunc enim si actus primus sit completus in suo ordine, vt reducat de tali potentia ad actum, præuia motione, vel actualitate, sed vel nulla, vel subsequente. Vnde si agens solum per transeuntem actionem reducat in actum, in se non magis actuatur, si antea erat completum in virtute agendi, sed per solam denominationem extrinsecam dicitur constitui in actu secundo. Quia verò talis agens ex necessitate naturæ operatur, si supponatur esse completum in actu primo, quoad virtutem intrinsecam, non potest esse in potentia ad actionem nisi ex defectu alicuius conditionis requisitæ ad agendum, & ideo necessarium erit præcedere aliquam mutationem per quam talis conditio compleatur: id autem sæpe fieri poterit sine mutatione agentis applicando passum, vel tollendo impedimentum, &c. Si verò agens reducat in actum per actionem immanentem, illud quidem mouetur quando se in actum reducit, non tamen mouetur, vt agens est, sed ut recipiens, neque mouetur, vt agat, sed mouetur, quia agit, & ideo secundum talem motionem non præmouetur ab alio prius natura, quam ipsum se moueat, sed simul cum ipsum se mouet, mouetur à Deo per concursum simultaneum, ergo ex vi illius reductionis de potentia in actum non est necessarius concursus præuius. Quod si illa reductio de potentia in actum præcisè consideretur, vt est à potentia apta ad agendum in actionem, quam antea non eliciebat, tunc si actus primus supponatur completus, non est necessaria præuia mutatio ab extrinseco præueniens, sed intrinseca applicatio per voluntatem sufficit, nam ad illam pertinet huiusmodi potentias, & seipsam ad exercitium applicare.

Prima confirmatio erat, quia aliàs determinationes liberæ essent fortuito, & contingenter respectu Dei. quæ illatio videtur fundari in hoc principio, quia omnia, quæ non prædeterminantur à Deo, fortuito veniunt respectu illius, quod manifestè falsum est: nam peccata, vt peccata, non prædeterminantur à Deo, & tamen non fortuito eueniunt respectu illius. Respondent Deum prædeterminare actum, qui est peccatum, & in illa prædeterminatione præscire malitiam consequentem actum, & illam permittere, & ideo peccatum non fortuito euenire. Quæ responsio falsum quidem supponit, quod satis iam impugnatum, & nihilominus tamen nobis occasionem præbet soluendi argumentum, seruata proportionē, & seclusa illa prædeterminatione, quæ in actibus peccatorum habet absurditatem, in alijs verò saltem non est necessaria ad excludendum causam, seu fortunam ab actibus liberi arbitrij respectu Dei. Nam Deus voluntariè facit, & prouidet omnia prærequisita, vt voluntas hæc, & nunc liberè possit hoc, vel illud operari: prouidet etiam, quid sit operatura voluntas, si ipse suum concursum offerat, eamque operari sinat, & decernit eam finire, vel permittendo actum, si malus futurus sit, vel illum acceptando, & volendo, si sit bonus, quod totum optime intelligitur sine præuius concursu, aut prædeterminatione, & sufficit vt casus actus non eueniat, vel fortuito respectu Dei. Quis enim dicat casu alicui accidere, quod eo præsciente, & non impediēte cum posset, vel quod magis est, ipso admittente, & cooperante euenit?

Confirmatio-
nes ab
aduersarijs
in sua fun-
damentali
adductæ re-
uocantur.
Prima quia
aliquia
omnes ac-
tiones li-
beræ essent
Deo for-
tuitæ.

Dices illud saltem euenire præter intentionem, quod etiam est inconueniens in effectibus creatis respectu Dei. Respondeo in peccatis simpliciter dicendum esse euenire præter intentionem Dei, quod est maximè certum de peccatis, vt peccata sunt, cum etiam sunt contra voluntatem Dei: de ip-
sis verò quibus coniuncta est malitia, etiam est simpliciter verum, Deum neque intendere, neque velle, vt tales actus sint, quia hoc per se non est bonum, nec decens Deum: sed dicendum est, intendere, ac velle, Deum finire, vt tales actus fiant volendo etiam concurrere ad illos, si voluntas creata illos operari velit. Et ad hoc insinuandum Augustinus in Enchiridion c. 95. sub distinctione dixit, non si aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel finiendo vi faciat, vel ipse faciendo. Actus autem simpliciter boni dici non possunt, præter intentionem Dei, quia licet ad illos non det concursum præuium, cupit illos fieri, & ex hoc effectum præbet omnia prærequisita ad tales actus, & offert concursum concomitantem, qui illos phy-
sicè efficit, ergo sunt ab illo per se intenti, siue illa intentio sit prædeterminata & absoluta, siue tantum antecedens, seu conditionata, neuter enim ex his duobus modis est determinatè necessarius ad debitum ordinem diuinæ prouidentie, & neuter etiam est impossibilis, imò vterque subsistere potest cum
libertatis, & sine concursu præuius, & cum suffi-
cienti dependentia nostræ liberæ determinationis à voluntate, & prouidentia diuina, nam hæc depen-
dentia non est in singulis actibus eiusdem modi, quoad diuinam intentionem, sed in solo concursu con-
comitante necessariò habentem eundem dependen-
tiæ modum, de qua relatiùs in lib. 5. dicturi sumus.

Secunda confirmatio erat, quia sequitur deter-
minationem voluntatis non esse à Deo, vt à causa Deum
prima, quia erit à sola voluntate prius natura se
applicante, & determinante, quam causa prima in
illam determinationem influat. Respondetur ta-
men negando sequelam, quia determinatio volun-
tatis nihil est aliud, quam actio eius, neque enim
voluntas prius natura se determinat ad eliciendum
amorem, v. g. & deinde illum, neque illa duo in re
sunt distincta, alia cum determinatio sit libera, ex
alia determinatione voluntatis præcedet, & sic
procedetur in infinitum. Siftendum est ergo in
prima actione libera voluntatis, qualis est, v. g.
actio amoris, & qualibet alia similis: nam si illa
per se ipsam intrinsecè voluntaria est, ita per illam
met determinatur voluntas ad amandum, sicut ergo
actio voluntatis, & cuiuscumque causæ secun-
dæ, est à Deo, vt à prima causa influente per con-
cursum simultaneum, etiam si præuius non ante-
dat, ita determinatio ipsa voluntatis est à Deo vt à
causa prima ratione eiusdem concursus, & ideo il-
latio obiecta nullius est momenti. Quod etiam ad
hominem potest fieri euident, quia dato concursu
præuius, dicti authores non negant, voluntatem se
determinare, ne libertatem omnino negent, & ni-
hilominus negare non possunt, quin in illo signo,
in quo voluntas se determinat, illa determinatio in
actu secundo simul natura sit, non solum à volun-
tate, & concursu præuius, sed etiam ab ipso
Deo, quia cum illa determinatio sit aliquid crea-
tum, non potest non pendere per se, & immediatè
ab ipso Deo, imò per se, & propriè hac ratione
pendet à Deo, vt à prima causa: nam alia depen-
dentia mediante concursu præuius respectu Dei, reue-
ra est mediata, & ideo quasi per accidens, ac pro-
pterea illa de medio sublata, subsistere potest essen-
tialis dependentia determinationis voluntatis
creata ab increata Merito ergo illatio illa reuocatur.
Cum vero obiicitur, quia voluntas est, quæ prius
mò se determinat, distinguenda est illa particula
primò, nam dicere potest, vel in modo causandi pri-
ma-

matum (vt sic dicam,) ita vt idem sit primò causare, quod principaliter, & independenter causare. Secundò dicere potest ordinem causandi secundum durationem temporis. Tertiò potest dicere ordinem etiam causandi non temporis, sed nature. In primo sensu falsa est assumptio; nemo enim dixit, primariam causam determinationis voluntatis esse ipsam voluntatem, quia in illa merè determinatione se gerit vt causa secunda essentialiter pendens à prima, quæ sola est primaria causa, & independentes, & primarias partes habens in efficacia illius determinationis. In secundo sensu etiam est propositio manifestè falsa, quia voluntas non prius tempore se determinat, quàm voluntas cum illa concurrat. De his ergo nulla est controuersia, nec potuit arguens cum aliqua probabilitate illam propositionem assumere in aliquo ex dictis sententiis tamquam à nobis concessam.

Tertius autem sensus subdistinguentus est, nam illa particula *primò* potest sumi negatiuè, & positiuè; in priori sensu solum dicit negationem alterius causæ prius natura influentis, & sic verissima est propositio; nam suppositis omnibus prærequisitis ad agendum (in quibus multiplex Dei causalitas ordine nature præcedit,) in illo signo, in quo voluntas incipit elicere actum & actionem suam, nulla causæ prius natura facit illam actionem quàm ipsa voluntas: nam licet faciat illam etiam Deus, non tamen prius ordine causalitatis, nam illa actio dicit essentialiter habitudinem ad voluntatem creatam, & ideo non potest prius emanare ab alia causa, quàm ab ipsa. Neque est bona illatio, emanat à prima causa; ergo prius emanat: nam committitur a quo ocatio in vocibus *prima*, & *prius*, vt iam explicatum est, neque oportet, vt causa quæ est prima in independentia, & modo causandi in omni actione antecedit etiam in ordine causandi.

In alio sensu particula *primò* positiuè sumpta dicit relationem prioritatis respectu alterius, & hoc modo admittunt aliqui voluntatem primò causare suam determinationem. Deum autem concurrere, quasi sequendo determinationem voluntatis; dicunt enim non posse intelligi concursum omnino simultaneum duarum voluntatum ad vnam actionem, quia oportet alterutram ab altera determinari, alias non coniungerentur per se, sed quasi per accidens, & casu. Sed illa sententia sine dubio falsa est, quia illa determinatio magis essentialiter pendet à voluntate diuina, quàm à creatâ; ergo in nullo signo potest intelligi vt procedens à sola voluntate creatâ, nam licet abstractione præcisiua possit concipi vnus respectus, non concepto alio, abstractione tamen negatiua non potest intelligi quod ordine causalitatis procedat prius à sola voluntate creatâ, & postea à Deo. Præterquam quod si concursus Dei esset quasi subsequens ordine causalitatis, esset quasi superuacaneus: nam prior esse posset sine posteriori, & posteriori iterum faceret, quod iam esset sufficienter factum, de qua re multa in superioribus dicta sunt, & lib. 5. plura dicemus.

Dico ergo propositionem in illo sensu esse falsam, & non sequi ex eo, quod Deus concurrat per concursum simultaneum, quia ad hoc satis est, vt neutra causa prius influat, quàm alia in alio genere concursus, quod fateri debent etiam, qui ponunt concursum præuincunt, vtique quantum ad actionem, quæ ab ipso, & à voluntate manant, vt supra etiam probaui. Nec oportet vt voluntas diuina, & humana quasi casu coniungantur ad influendum simul in eandem determinationem voluntatis creatæ; quia, vt dixi, Deus ex certa scientia præuidens, quid voluntas creatâ sit operatura si con-

cursum suum illi offerat, destinata voluntate decreuit cum illa concurrere ad talem actum, ipsa etiam se determinante, & ita non casu, sed ex vi huius decreti, in ipso momento, in quo determinatio fit, & in quocumque signo illius, influxus Dei coniungitur influxui voluntatis sine illo ordine causalitatis, seu prioritatis, quæ in illa fundetur.

Est tamen hic notanda differentia inter vtramque voluntatem, nam voluntas creatâ, vt ordine naturæ supponitur, ad illam actionem est indifferens in actu primo ad agendum, vel non agendum, vel hoc, aut illud agendum: voluntas autem diuina prius non tantum natura, sed etiam æternitate, quæ exterius efficit illam actionem voluntatis creatæ, est in se, & interius determinata (nostro modo loquendi) in actu secundo respectu ipsius Dei per decretum, seu voluntatem concurrendi cum voluntate creatâ ad talem actum, tali tempore, & ita voluntas creatâ propriissime dicitur se determinare, quia efficit illum actum, qui est immanens in illo, & ideo per illum voluntariè reducitur ex actu primo indifferente in actum secundum determinatum, nec per hoc excluditur concursus Dei ad eandem determinationem, sed potius includitur, quia essentialiter imbitur in omni actione creaturæ. Deus autem concurrente cum voluntate ad illam determinationem, non dicitur determinare se, quia illa actio, quæ à voluntate creatâ fit, est solum transiens respectu voluntatis Dei, & ad illam erat iam Deus ex se determinatus per decretum æternum. Neque etiam simpliciter dicendus est Deus determinare physicè voluntatem ad talem actum, quia verbum illud *determinandi* respectu causæ liberæ connotare videtur respectum ad ipsam causam proximam, vel etiam, ne videatur excludi cooperatio voluntatis, & soli Deo attribui illius determinatio. Ad tollendam ergo ambiguitatem propriissime dicitur Deus condeterminare voluntatem creatam, vel coefficere determinationem eius, seu ad illam concurrere. Hæc autem intelligimus ex vi generalis concursus, nam de modo quo per auxilia præuenientia Deus est causa ipsiusmet cooperationis liberi arbitrij, & in superioribus dictum est, & in lib. 5. latius est dicendum.

Tertia confirmatio fundebatur in hoc principio, quod libertas creatâ ita subordinatur diuinæ, vt formaliter reducatur in diuinam voluntatem, & libertatem, tamquam in primam causam physicam, & in genere phylico. Ex quo principio inferbatur, præuium concursum esse necessarium, vt ex libera præmotione Dei habeat voluntas creatâ voluntatem suæ determinationis. quæ ratio sumpta dicitur ex doctrina D. Thomæ, & communi Thomistarum i. p. q. 29. art. 8. Ego verò apud D. Thomam ibi solam lego primam causam, & radicem effectuum contingentium, & liberorum esse diuinam voluntatem, & eius efficaciam. Nam volens Deus vt esset in vniuerso varietas effectuum naturalium contingentium, & liberorum, efficaciter etiam prouidet, vt essent in vniuerso causæ illis effectibus & modis agendi accommodatæ, simulq; voluit, ita cum omnibus, & singulis concurrere, vt eas suos motus, modo vnicuique accommodato agere sineret. Ex qua doctrina, quæ verissima est, solum sequitur voluntatem Dei ipso primam causam efficientem voluntatis humanæ, ac libertatis illius, & ita etiam cum illa cooperari, vt vsum libertatis eius non impediatur.

Non legi autem in D. Thoma, nec apud aliquem ex antiquis Thomistis me legisse memini, quod libertas humanæ voluntatis vel effectuum eius formaliter reducatur in diuinam voluntatem

& li-

11. Differentia inter voluntatem diuinam & creatam.

13. Confirmatio, libertas creatâ formaliter reducitur in diuinam libertatem, & causam physicam, & connotatur.

14. Mēs S. Thomæ & antiquorum Theologorum circa voluntatem humanam, ac libertatis illius principij duplex sensus, & propositio, & particula formaliter in illa.

& libertatem. Neque video quomodo id possit intelligi, si particula illa *formaliter* aliquid addat ultra dictam efficiaciam diuinam iam explicatam, vt videtur esse de mente arguentis, nam si illud *formaliter* nihil addat, sed significet tantum libertatem diuinæ voluntatis, quæ in Deo est *formaliter*, esse primam originem, & causam, à qua efficienter manat liberrima humanæ voluntatis, & actus eius, sic antecedens verum est, sed consequentia de concursu præuio nullam habet connexionem cum illo antecedente. Nam quod attinet ad libertatem ipsius potentæ voluntatis nostræ, illa non datur per aliquem concursum, sed concitatur cum anima, & voluntate. Si verò sit sermo de libertate actus, tantum abest, vt illa sumenda sit ex concursu præuio, vt vix, aut ne vix quidem stante illo non possit intelligi, vt ex dictis in Prolegomeno 1. & in discursu huius libri facile potest legenti constare, & in lib. 5. pressius vrgebimus. Cum concursu autem comitante facile intelligitur, & sufficientissime declaratur, quomodo actualis libertas voluntatis humanæ radicaliter proueniat à libertate diuina, quatenus per illam suum concomitantem concursum ita accommodat, vt est actus voluntatis humanæ efficiat, & eius libertatem.

15.
Alter senes
filius parti-
culæ.

At verò si illa particula *formaliter* aliquid præter dictam Dei efficiaciam addat, nihil aliud significare potest, nisi quod actus nostræ voluntatis *formaliter* constituitur liber per denominationem à libertate diuina, vel à concursu præuio ab illa sola pendente: vtrumque autem, & falsum est, & alienum ab omni vero sensu, nam meus actus non est in se, & *formaliter* liber, quia Deus liberè operatur, sed quia ego per facultatem *formaliter* liberam illum efficio, alioqui non ego essem dominus mei actus, sed solus Deus, nec propter illum essem dignus laude, nec actus voluntatis meæ esset magis liber, quam intellectus, imò neque magis quam actus brutorum: nam etiam cum his Deus liberè operatur, & concurrat. Item sicut Deus est prima causa libertatis, ita etiam est prima causa vitæ, & sicut concurret cum potentia libera, ita etiam cum potentia vitali, modo vtique accommodato, & nihilominus actus vitalis creatus non habet *formaliter*, quod vitalis sit ex emanatione à Deo, sed ex emanatione à proximo, & intrinseco principio vitæ, quamuis effectus totum suum esse recipiat à Deo vt à prima causa efficiente; ergo similiter actus liber, licet effectus habeat primam, & principalem originem à Deo, nihilominus vt est actus hominis, non est *formaliter* liber ex libertate Dei, sed ex intrinseca hominis libertate, nam esse liberum, includit esse vitale, & addit voluntarium cum indifferentia, & dominio proximæ facultatis. In illo ergo sensu falsum est, quod in ea confirmatione sumitur, ideo vel antecedens est falsum; vel consequentia nulla, vt explicatum est.

16.
Ultima cō-
firmatio
quæ ex pri-
ma & secū-
da coinci-
dit rejicitur

Ultima confirmatio coincidit ferè cum prima, & secunda, in quibus iam dictum est voluntatem humanam, neque solam se determinare, neque à sola voluntate diuina determinari, sed ipsam se determinare cooperante diuina voluntate, ideoq; in tali determinatione neutra voluntas prius quam alia agit. Neque hoc est contra perfectionem diuinæ voluntatis, quia licet non sit prior in causando, semper est prior in modo, & perfectione causando, & quod in causando non præcedat, non est quia pendat à voluntate creata, neque quia ab illius influxu in aliquo genere causæ determinetur, sed quia ipsa vult suam actionem, & concursum iuxta indigentiam talis causæ secundæ determinare. Vnde licet respectu propriæ determinationis ad extrinsecam voluntas creata sit propria causa efficiens deter-

minationem ipsam, & quasi determinans actionem ad talem speciem, tamen respectu diuinæ voluntatis solum se habet per modum occasionis, & quasi materię postulantis à suo primo auctore talem modum concursus, vel auxiliij, & quasi trahentis, vel inuitantis diuinam voluntatem ad illud præstandum.

Statim verò insurgit antiqua quæstio de ipsa diuina voluntate, quomodo per habitudinem ad illam non habeat efficientia Dei rationem concursus præuij, & prædeterminantis, nam licet ille concursus prout ita extra, sit simul cum influxu voluntatis creatæ, nihilominus voluntas ipsa diuina quatenus ab æterno voluit, & decreuit talem actum facere in tempore, est causa prior, & antecedens ratione causando, & alioqui est efficacissima; ergo præcedit etiam efficiendo, & consequenter etiam determinando voluntatem creatam. Qua difficultate superati antiqui hæretici arbitrij libertatem negabant, sicque argumentabantur, vt de Simone Mago disputante cum Petro refertur in lib. 3. Recognitionum sub nomine Clementis. Si quod Deus vult esse, est, & si quod non vult esse, non est, quomodo in homine est potestas volendi & non volendi. Cui post pauca ita ferè Petrus respondet. Ignoras o Simon quomodo in singulis quibusque voluntas sit Dei: quidam enim voluit, vt diximus, uia esse, vt aliud esse non possit, quam id, quod ab ipso instituta sunt, & his, neque prius, neque supplicia statuit; quædam vero ita esse voluit, vt in eis potestate habeant agere, quod velint, & his pro actibus ac voluntatibus suis statuit, vt aut remunerationes mereantur, aut penas. Cum ergo in duas, vt docui, diuidantur cunctæ, quæ mouentur secundum eam distinctionem, quam supra diximus, omne, quod Deus vult est, & quod non vult, non est. Hæc sunt verba Petri apud Clementem quæ recte inspiciantur, & doctrinam datam conseruant, & vulgarem difficultatem expellunt.

Antecedit enim voluntas Dei respectu causarum secundarum, sed non eodem modo: nam causis naturalibus vult dare determinatum concursum, liberis etiam indifferentem, vt supra etiam declarauimus; & ideo in prioribus facile potest antecedere absoluta voluntas Dei de ipso effectu; in posterioribus verò non est necesse, vt talis voluntas antecedat, sed sufficit voluntas concurrendi, quæ includit conditionem, si voluntas creata consentiat. Et ideo licet talis voluntas Dei antecedat in suo esse, & qualiter in applicatione proxima ad influendum, quantum est de se, nihilominus nihil sola agit, ideoq; quantum ad actum influentiam, non est antecedens, sed concomitans, ac propterea neque efficit præuium concursum, neque ex necessitate infert effectum, quia concursus quem offert, à libera concomitantia voluntatis creatæ pendere potest.

Dixi autem ad præstandum concursum causæ liberæ non esse necessarium. Vt Deus actu absoluto prædeterminet futurum actum voluntatis creatæ, quia ex vi dependentiæ causæ secundæ, à prima sufficit voluntas concurrendi Dei, quam explicauimus. Et quoad actus peccatorum etiam pro materiali, censéo non præcedere aliam Dei voluntatem, vt in lib. 2. de Auxilijs latè tractaui. An verò ad actus bonos præcedat talis voluntas Dei, quæ solet prædefinitio vocari, disputaui eodem loco, & in lib. 5. aliquid iterum de illo puncto dicam. In præfenti verò necessarium non est, quia licet præcedat illa prædefinitio Dei volentis illo modo providere aliquos effectus suos, nunquam tamen est illa voluntas necessaria ad concursum, neque est quasi proximum principium eius, nam est tantum voluntas prædestinativa, non executiva. Et ideo nullum concursum præuium efficit in voluntate creata, quo illam prædeterminet ad actum prædestinatum à Deo, sed præiudicat alium mo-

modum, quo prout excitatione morali, vel adiun-
cto concursu physico concomitante, voluntas hu-
mana liberè & ineffabiliter, efficit actum, quem
diuina voluntas prædefinierat, seu prædestinaue-
rat, quis autem hic modus sit, in l. 5. explicabimus.

CAPVT LI.

Ad actus supernaturales necessarium non esse
auxilium præuium per modum con-
cursus, sed simultaneum
sufficere.

Hæc est conclusio principalis, propter quam
eliciendam, ad omnia, quæ de concursu Dei
in præcedentibus capitulis dicta sunt, neces-
sitate compulsi digressi sumus, quia neque sine illo
principio hæc assertio fundari poterat, nec illo
principio stabilito alia probatio necessaria, quia est
evidens consecutio, ut auctores contrariæ senten-
tiæ etiam fatentur, nec enim ob aliud requirunt ad
actus gratiæ, concursum præuium eiusdem ordi-
nis, nisi quia putant esse per se necessarium ex gene-
rali ratione actionis creatæ, seu causæ secundæ. Sic
igitur nos ex contrariis principio ita concludimus.
Actiones naturales siue necessariæ, siue liberae, ex
vi dependentiæ essentialis à prima causa, non re-
quirunt concursum præuium in causa; ergo nec
actiones supernaturales, & gratiæ illum necessariò
postulant. Probatur consequenter. Tum quia ea-
dem est ratio dependentiæ à proportionem seruata re-
spectu Dei, ut est prima causa naturalis, vel super-
naturalis; tum etiam, quia non minus potes est ha-
bitus, v. g. charitatis, aut lumen gloriæ respectu sua-
rum actionum supernaturalium, quam sit volun-
tas, vel intellectus in ordine ad actiones sibi conna-
turales; ergo sicut hæc potentia solum indigent con-
cursu concomitante, ita etiam illæ virtutes. Tum
denique, quia omnes actiones factæ de aliis causis
tam naturalibus, quam liberis seruata proportio-
ne hic locum habent.

Vnde possumus assertionem hanc auctoritate D.
Thomæ confirmare, nam in l. 2. q. 109. non alium
concursum Dei postulat ad supernaturaliter ope-
randum supposito sufficienti principio interno
gratiæ, nisi generalem illum, quem Deus prebet
causis secundis vnicuique accomodatam, seu
magis, vel minus perfectam, & inferioris, vel supe-
rioris ordinis, iuxta gradum, & perfectionem cau-
sæ. Sic in art. 4. dicit, hominem tam in statu nature
integre, quam lapsæ indigere gratia, id est, interno
supernaturali principio operatiuo ad diligendum
Deum ex charitate, & insuper in utroque statu in-
digere auxilio Dei mouentis, per quod concursum si-
multaneum intelligit, ut supra declaratum est. Et
in art. 9. ad opera supernaturalia, duo dicit esse per
se, & in vniuersum necessaria, scilicet, habitum
gratiæ, & motionem illam Dei, quæ ex generali
ratione dependentiæ omni rei creatæ à Deo neces-
saria est, quæ est tantum motio cooperatiua, licet
in statu nature corrupte ob alias rationes indigeat
homo aliis auxiliis.

Possumus etiam ad conclusionem confirman-
dam Augustini auctoritatem inducere, quatenus
in multis locis dicit, esse in potestate hominis vo-
cati, & sufficienter præparati habere operationem
liberam, & supernaturalem si velit, & consequen-
ter habiturum etiam concursum necessarium ex
parte Dei, si per eum non iter: hæc enim subsistere
non possunt, si præuius concursus ultra simulta-
neum esset in operibus gratiæ necessariis, quia ta-

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

lis præuius concursus cum à solo Deo fiat, ab eius
sola voluntate penderet, ut paulo antea de præde-
terminatione ad actum peccati ostendimus. Est
etiam eadem proportionalis ratio in præfenti, quia
homo non potest se disponere ad illum concursum
præuium: naturalis dispositio deberet esse super-
naturalis, & ad illam esset necessarius concursus
præuius, & sic procederetur in infinitum, & sic li-
stendum est in primo, qui à solo Dei arbitrio pen-
deat. Vnde è conuerso ex omnibus locis in qui-
bus Augustinus docet posita vocatione, & princi-
pio sufficienti gratiæ, esse in nostra potestate velle
aut nolle, & ad hanc aut illam partem determinari,
apertè docet concursum Dei ad vtrumque neces-
sarium esse nobis oblatum, & in nostra esse pote-
state, ac subinde non esse præuium, neque ad v-
num determinatum, tale est illud Augustini, *Con-
sentire, & dissentire, nostre voluntati est*, de spirit. &
liter. cap. 34. Quod velimus nostrum esse, licet Dei
sit vocando dicta q. 2. ad simplicianum Deum esse
offerre, & inchoare gratiam accipere esse in nobis,
epist. 45. Denique posse hominem sibi tribuere,
quod venerit vocatus, lib. 83. quaest. q. 68. Vnde eiusdem
locis carentiam consensus homini dicit esse tri-
buendam, quod certe intelligi non posset, nisi con-
cursus esset in hominis potestate, quod proprium
est concursus simultanei; sed hæc pluribus discuti-
enda sunt, transectando inferius de auxilio effica-
ci, de quo ferè eadem est ratio.

Et ob eamdem causam omitto hic duas funda-
mentales rationes ab inconuenienti sumptas, ob
quas etiam in operibus gratiæ non potest talis con-
cursus præuius esse necessarius. Vna est, quod si disindicat
talis concursus præuius est necessarius & Dei arbi-
trio datur, quibus non datur ita sit impossibilis remissæ
via salutis, ut non sit in potestate eorum habere id,
fine quo non possunt viam illam ingredi, nedum
in ea progredi, & eam consumere, id est, ut non sit
in eorum potestate, velle credere, sperare, amare;
quia hæc sine auxilio præuii fieri non possunt, &
illud non habent, neque ad illud habendum quid-
quam facere possunt. Alia ratio est, quia opera fa-
cta impulsu talis concursus præuii non essent libe-
ra, quia talis concursus à solo Deo sit antecederet
in voluntate, cui illa resistere, aut dissentire non
potest. Sed hæc rationes communes sunt ad omne
auxilium de se efficax, ac prædeterminans sua vi
voluntatem, & ideo illas pressius lib. 5. expendi-
mus. Nunc duo aduerto. Vnum est dicta omnia
facile procedere respectu habituum infusorum,
habere autem nonnullam difficultatem in actibus
supernaturalibus, qui sine habitibus sunt; nihil-
ominus tamen in illis verasunt, quia licet necessa-
rium sit efficaciam habitus per aliud principium
supernaturale, siue inhaerens, siue adsistens supple-
ri, nihilominus illud principium non datur per
modum concursus præuii, sed per modum proximi-
tatis virtutis, seu adiutorij, quo posito solum spe-
ctatur concursus simultaneus.

Vnde aliud aduertendum est assertionem in v-
niuersum procedere, quando potentia hominis ex
omni parte est sufficienter constituta in actu pri-
mo ad operandum supernaturaliter, ita ut virtu-
tem per se effectiuam supernaturalis ordinis, &
omnia ad operandum prærequisita ex parte prin-
cipij habeat. Vnde maximè habet locum in poten-
tia habitu supernaturali instructa, & in suo ordi-
ne sufficienter excitata. Ideoque cauendum est ne
per æquiuocationem à necessitate auxilij præue-
nientis fiat transitus ad concursum præuium, plus
enim, quam cælum à terra distant, nam concursus
non locum habet, nisi postquam potentia necessa-
riis auxiliis sufficienter præuenta est. Item quia
præuenientia auxilia ad gratiam excitantem per-
tinent;

4. Rationes ab
inconuenienti
sumptas, ob
quas etiam in
operibus gratiæ
non potest talis
conkursus præuius
esse necessarius.

5. Quomodo
si intelligi
da assertio.